

**IOSEPHI IOANNIS DEL COL, sdb**

**RECENTIS LATINITATIS  
SPECIMINA**

**SINU ALBO (Hispane Bahía Blanca)  
in Argentina Provincia Bonis Auris  
apud INSTITUTUM SUPERIUS quod *Ioannes XXIII* vocatur  
a. MCMLXXXIV**

© Copyright 1994 by Instituto Superior "Juan XXIII"  
Vieytes 286 (Tel./Fax: 091-553995)  
8000 Bahía Blanca (Argentina)

*Omnia iura proprietatis sibi vindicat Editor*

Depositum ex lege 11.723 – ISBN N° 950-9771-07-4

Libellus in Argentina typis confectus – Printed in Argentina

Ex officina typographica PUMA  
Av. Córdoba 2570, 1120 Buenos Aires (Argentina)

## INDEX RERUM

Prooemium .....	pag. 4
Oratio de nova methodo Latinitatis tradendae .....	pag. 5
Oratio de institutione linguae Latinae latius et efficacius in scholam mediam Argentinae inducenda .....	pag. 14
Oratiuncula de aliquo legato Argentino mittendo ad Bucarestiensem Conventum de Latinis Litteris Linguaeque Promovendis .....	pag. 18
Relatio de Symposio Nationali de Studiis Classicis Mendossae (in Argentina) habito .....	pag. 20
Consociationis Argentinae Studiis Classicis Provehendis statuta .....	pag. 23
II Symposium Nationale de Studiis Classicis in Argentina indicitur.....	pag. 30

## PROOEMIUM

Hic libellus seriei appellatae *Cuadernos del Instituto Superior "Juan XXIII"* (id est, Codices Instituti Superioris a Ioanne XXIII nomen trahentis) complectitur quaedam recentis Latinitatis specimina, a Iosepho Ioanne Del Col, sdb, exarata abhinc plures annos.

Agitur de sex scriptis, quorum quinque iam in publicam lucem emissa sunt per commentarios quibus nomen *Orbis Latinus* et qui, moderante Natale Bertolo, sdb, e Salta, in Argentina, vivam Latinitatem foverunt inter MCMLXXI et MCMLXXIV annum. Tria prima etiam missa erant Mendossam, item in Argentina, velut commentationes, quae examinarentur infra I Symposium Nationale de Studiis Classicis, quod in ea urbe celebratum est anno MCMLXX.

Sex scripta hic colliguntur et proponuntur ut tenue erga Latinitatem officium Instituti quod Ioannes XXIII vocatur quodque in America Meridionali exstat, pressius iuxta Patagoniam, extremam hemisphaerii australis zonam, ubi adhuc viget Latinitas et per sermonem Hispanicum, ex ea profluentem, et per civilem cultum clare a Roma, praesertim christiana, signatum, et per nonnulla linguae ac litterarum Latinarum studia.

Datum Sinu Albo, in Provincia Bonis Auris, Republica Argentina,  
die XXXI mensis Ianuarii a. MCMLXXXIV,  
in festo Sancti Ioannis Bosco, Latinitatis amantis.

**ORATIO DE NOVA METHODO LATINITATIS TRADENDAE**  
(Mendossae, in Symposio Nationali de Studiis Classicis,  
mense Maio a. MCMLXX)

His temporibus nova, praesertim scientifica et technica, admirationem hominum excitant. In primis prima iuventa -"nova unda", ut appellari solet- nova vehementer concupiscit, inquirit, consecatur; vetera autem, qua vetera, dedignatur ac reicit. In praesenti rerum veterum discrimine, lingua quoque litteraeque Latinae periclitantur. "Quid prodest in eas incumbere? Nonne iam pridem mortuae sunt? Ne tempus teramus igitur eis studendo". Haec et similia nunc audacter insolenterque proferuntur. Etiam in nonnullis nationibus, ut Italia et Francogallia, quae antea Latinitatem in mediis ordinis scholis, id est in gymnasiis et lyceis, maxime colebant, nunc levi momento eam aestimare videntur. In patria nostra Latinum quidem vix vivit in schola media; in schola autem superioris ordinis plerumque, ut mihi constat, asperum perosumque evadit.

Sed quaestionem bene perpendentes, comprobamus multos non de Latinitate queri, sed de nullis vel fere nullis fructibus, quos studium Latinitatis eis affert vel attulit, et de taedio, quod in eis gignit vel genuit.

In commentariis Latinis saepe et instanter novae methodi (vel rationes) linguae Latinae docendae seu exponuntur seu recensentur seu commendantur: methodus aptior, methodus viva, methodus naturae (vel naturalis), methodi audi-linguales (vel auditoriae-linguales) et audi-visuales (vel auditoriae-visuales), methodus "Structural Approach" vel "Assimil" vel "Linguaphone" vel "Schnitzler", etc. Auctores probati, Latinitatis et amantissimi et peritissimi, commentariorum vel librorum ope nobis instant, ut aut methodum ab avis traditam novemus aut novam sequamur in lingua Latina docenda, si vere volumus eam nunc reviviscere animosque discipulorum adhuc allicere; alioquin aequo animo feramus eam penitus perire. Non sic declaratur, quia nova consuetudo sic ferat, sed quia novata vel nova methodus cum inventis et placitis psychologiae congruit, naturam proinde imitans.

Ceterum, exceptis nimirum subsidiis technicis aetatis nostrae, methodus naturae reapse viguit antiquitus usque ad renatas litteras, quo tempore vivens Latinitas coepta est coerceri reformationibus grammaticis, ut Latinitati accommodaretur aetatis aureae. Ciceronem velut exemplar maximum sibi humanistae proponebant; orationes Ciceronis stilo habere quasi quondam speciem perfectae humanitatis putabant (Luis Alonso Schökel, S. I., *Historia de la Literatura Griega y Latina*, VI editio, Santanderiae (vel Sandaquiti), "Sal Terrae", MCMLXII, p. 145), vel potius Tulliane dicere esse tamquam divine loqui (Umberto Tomazzoni in *Didattica del Latino*, Romae, Angelo Signorelli, MCMLV, p. 49). Sed Latinitas "purior", Latinitas "humanior" (hoc est homine dignior) grammatices opera effecta, vivam Latinitatem suffocare incepit (cf. Pighi - Tomazzoni - Gozzer ..., *Didattica del Latino*, p. 37-39). "Aliud est- aiebat Quintilianus - grammatices loqui, aliud Latine" (cit. ab Ottavio Tempini, *Grammatica Latina*, XVIII editio, Augustae Taurinorum, SEI (= Societas Editrix Internationalis), p. 267). Porro procedente tempore evenit, ut nec Latine nec grammatices loqueretur. Grammatica Latina sola mansit cum farragine praeceptorum suorum verbis et orationibus Latinis vernaculo sermone enodandis.

Haec est, pro dolor!, pars hereditatis nostra. Huic taediosae sectioni anatomicae Latinitatis confestim animoseque obsistere debemus. Non iam lingua Latina per grammaticam docenda (Pighi in *Didattica del Latino*, p. 36), sed per linguam ipsam. Sic etiam commode ad possessionem artis grammaticae pervenietur, primo syntaxis, deinde morphologiae (Id., ib., p. 44). Hoc modo pro taedio voluptatem substituemus. Voluptas autem crescit cum lingua Latina qualis revera est percipiatur: nempe ut lingua quae et vivide per viginti fere saecula viguit, et splendida maiorum loquela fuit, et radix nostri ac plurium sermonum recentiorum est, et thesaurus continet eius sapientiae quae origo ac fons est cultus humanitatisque nostrae, id est occidentalis, atque etiam humanitatis christianae eoque totius orbis terrarum et vicens atque usitata adhuc est ut lingua internationalis in commentariis periodicis, libris, actis, athenaeis, conventibus.

Ut lingua litteraeque Latinae sic percipiantur, novatae vel novae rationes didacticae mox sunt nobis sequendae. Exemplum dant vel potius viam sternunt methodi, quae usurpari nunc solent in tradendis recentioribus linguis extraneis quaeque rationem imitari conantur, qua sermo patrius addiscitur. Silentio praetereo quod attinet ad officinam linguarum, discos phonographicos, pelliculas imaginum stativarum, etc. Quae subsidia technica, etsi perutilia, necessaria tamen non sunt. Sufficit ut textus apti adhibeantur, qui lectiones praebeant ad naturae rationem.

De his lectionibus idem valet quod de lectionibus seligendis ad recentioris linguae extraneae institutionem eximius philologus Danus, Otto Jespersen, scripsit in libro, cui titulus *How to teach a foreign language* (Londini, George Allen & Unwin Ltd., MCMLVI):

“(Lectiones) quantum fieri potest

- 1) inter se coniungantur sensumque rationi consentaneum ostendant;
- 2) animum alliciant, e vivo petita sint, varietatem prae se ferant;
- 3) contineant quod in sermone maxime opus est, praesertim in sermone quotidiano;
- 4) puro dicendi genere exaratae sint;
- 5) ad difficiliora a facilioribus gradatim transeant;
- 6) ne nimis tamen perpendatur num quid facile an difficile sit quoad meram grammaticae artem” (p. 23). De qua re novissima commemorat Jespersen illud Ioannis Stuart Mill: "Discipulus a quo numquam exigitur ut faciat quod facere non valet, numquam facit quod facere valet" (p. 28).

Plures libri exstant, qui plus minusve has normas servant, verbi gratia:

tria volumina, quibus index *Res et verba*, a P. Goggi confecta cura et studio Instituti Superioris Paedagogiae Pontificii Athenaei Salesiani (P. A. S.);

liber, cui titulus *Le latin sans peine*, a C. Desessard exaratus editusque apud Societatem Librariam "Assimil" (5, rue Saint-Augustin (Bourse), Paris 2);

tres libri, qui *Latin by the natural method* inscribuntur, a Vellelmo (vel Gulielmo)

Most compositi ac typis Societatis Editoriae Henry Regnery Company Chicagi in Illinoesia vulgati;

opus, quod vocatur *Lingua latina secundum naturae rationem explicata* quodque Hans H. Oerberg scripsit consiliis adiutus ab Arthur M. Jensen, qui illam rationem instituit, quae iam libris qui inscribuntur *English by the Nature Method* et *Le Français par la Methode Nature* adhibita est.

Hoc opus, ex L capitulis constans in XV fasciculos distributis, principem locum mihi obtinere videtur inter novas methodos linguae Latinae docendae. In praefatione sic Editores quomodo compositum sit indicant:

"Ita compositus est liber, ut vis et sententia cuiusque novi vocabuli ex contextu orationis ipsa per se manifeste pateat, atque toties iterantur vocabula ut penitus perdiscantur. Quo expeditius legeretur liber, curavimus, ne plus quam vicesima quinta vel tricesima pars vocabulorum perpetuorum, quae quoque capitulo continentur, nova essent. Nihilo minus qui totam hanc disciplinam studiose absolverit circiter duo milia vocabulorum et quingenta didicerit, quae prope omnia ex usitatissimis linguae Latinae vocabulis sunt, ut affirmant ii, qui in frequentiam vocabulorum Latinorum accuratius inquisiverunt. Ea copia verborum instructus discipulus noster omnes fere libros Latine conscriptos, ni fallimur, satis facile atque magno cum fructu legere poterit.

Quamquam iam in exemplis legendis optime discitur ars grammatica, tamen non ab re visum est cuique capitulo partem addere, quae 'Grammatica Latina' inscribitur, in qua res grammaticae ita perspicue Latine explanantur, ut semper ad intellegentiam discipuli accommodentur.

Vocales longas quaecumque reperiuntur notis superpositis signavimus eo consilio, ut lectores syllabas longas a brevibus discernentes locutionem emendatam sibi quaerant, quae res in versibus quoque recte legendis valde iuvat".

Animadvertendum quoque est unicuique capitulo post partem, cui "Grammatica Latina" index, tria pensa addita esse ad congruentem alumnorum exercitationem.

Ad hoc opus quam emendatissimum firmissimumque reddendum, praestantissimi philologi alii ex aliis nationibus opera atque auctoritate sua adiuverunt. Praefationes addiderunt hanc institutionem commendantes docti philologiae professores, quorum nomina hic recensentur: Giacomo Devoto, Universitatis Florentinae; Karl Jax, Univ. Aenipontanae; Scevola Mariotti, Univ. Romanae; E. Springhetti, Pontificiae Univ. Gregorianae; Louis Hjelmslev, Univ. Hauniensis; Jens Holt, Univ. Arhusiensis; Per Krarup, Rector Gymnasii; A. D. Leeman, Univ. Amstelodamensis; Dag Norberg, Univ. Holmiensis; Henrik Zilliacus, Univ. Helsingiensis.

Libelli soluti vel collecti in tres libros filo compactos collemateque munitos, venales prostant apud Instituta huius methodi Amstelodami, Bruxellis, Hauniae, Helsingii, Holmiae, Londini, Mediolani, Monaci, Novi Eboraci, Osloae, Parisiis, Turici, Vindobonae. En nonnullae inscriptiones, quas scire aliquis cupiat:

De Natuurmethode Amsterdam, Spui 23 - 27 (ingang Handboogstraat 6), Amsterdam C., Holanda.

The Nature Method Language Institute Ltd., 1, Tudor Street, London, E. C. 4, Inghlaterra.

The Nature Method Language Institute Inc., 110 East 42 Street, New York, N. Y. 10017, USA.

Institut "Méthode Nature", 60- 62 rue d'Hauteville, Paris X, Francia.

In opere de quo scribimus a facillimis orationibus sensim sine sensu progreditur usque ad has metas pertingendas: aliqua carmina Ovidii et Catulli (in cap. XXXII); aliquot epigrammata Martialis (ib.); excerpta ex Eutropii Breviario Ab Urbe Condita (cap. XLII et XLVIII), ex T. Livii Ab Urbe Condita Libris XXI - XXX, ex Cornelii Nepotis Libro de Excellentibus Ducibus (cap. XLIV), ex T. Livii Ab Urbe Condita Libris XXXI - XLV (cap. XLV), ex T. Livii Librorum XLVIII - LXI Periochis (cap. XLVI), ex C. Sallustii Crispi Bello Iugurthino (cap. XLVII), ex M. Tullii Ciceronis Oratione de Imperio Cn. Pompeii (cap. XLIX), ex M. Tullii Ciceronis De Re Publica Libris (cap. L).

Operis vero forma sic descripta est, ut Latina lingua sonet velut si antiquissimis saeculis sonaret, mores et instituta Romanorum exprimens. Optandum itaque videtur, ut simili ratione ostendatur quod Latinitas peperit volventibus saeculis.

In III Conventu Internationali, Argentorati habito a die II ad IV mensis Septembris anno MCMLXIII, hoc utique votum conceptum est ad linguam Latinam vivam reddendam:

"Corpus paretur internationale Lectionum Latinarum, quae et ex antiquis et ex Medii Aevi et ex recentioribus auctoribus seligantur;

huius Corporis scripta sua natura simplicia sunt, quibus indoles propria cuiusque scriptoris manifesta fiat".

Cui voto satis faciendi causa, Avennionem apud Editoriam Domum Aubanel, Bibliotheca Vitae Latinae edi coepta est, Petro Grimal Praeside curante, quae hos libros iam praebere potest:

*Psyche & Cupidinis fabula* ex Apulei Madaurensis libro in usum scholarum narrata a Susanna Bails;

*Selecta carmina Medii Aevi IX-XIII saec.*, ab A. Michel in publicam lucem data;

*Cycnea carmina* a Paulo L. Callens composita;

*Ioannis Barclai Erphormionis Lusinini satyricon*, fabula romanensis a Iulia Desjardins pervulgata;

*Phaedri fabulae* a Guarino (vel Varino) Pacitti collectae facilioresque redditae.

Eodem ac Bibliotheca Vitae Latinae tendunt plures libri vel libelli; in his:

*Alicia in terra mirabili Ludovici Carroll*, qui liber Latine redditus est a Clive Harcourt Carruthers Londinique editus anno MCMLXIV prelo Societatis Librariae Mac Millan;

*Aliciae per speculum transitus Ludovici Carroll*, fabella Latine reddita ab eodem Clive Harcourt Carruthers ac Londini in vulgus data Mac Millan typis anno MCMLXVI;

Hugonis Henrici Paoli: *Ciceronis filius; Camilla; Varius Libellus, De senectute - Indorum sapientia; Maximi et Mauritii male facta* (W. Busch, Max und Moritz); *Fabellae pueriles* (W. Busch, Bilderbogen); *Petrus Ericius* (H. Hoffmann, Struwelpeter); *Versus*

*diabolici; Fabellae tres*: Florentiae in Aedibus Felicis Le Monnier;

Honorati Tescari *Fabularum Latinarum liber*, Augustae Taurinorum, SEI, MCMLX;

*Colloquia Diverbia Fabellae*, curante Iulio Meregazzi, Mediolani in Aedibus Antonii Vallardi Bibliopolae, MCMLV;

*Lusus melici* a Vido (vel Guido) Vitali scripti, Mediolani in Aedibus Antonii Vallardi Bibliopolae, MCMXXXVI;

(in usum Francogallice loquentium) Paul Crouzet - Georges Berthet, *Textes Latins faciles illustrés*, Tolosae - Lutetiae Parisiorum, Privat - Didier, MCMIX;

Charles Rosset: *Discant a bestiis homines; Argonautae; Massilia; Naaman; Bella Persica; Ulixes; Facta dictaque memorabilia; Quomodo baculum floruerit; Filius prodigus; Achilles; Phaedri fabulae selectae viginti; Horatius; Ioas*: typis Societatis Librariae "Les Editions de l' Ecole" (II, Rue de Sevres - Paris - 6e);

(in usum Anglice loquentium) C. J. Vincent, *A first Latin reader*, Oxonii, Clarendon Prelo, MCMLXII;

C. J. Vincent, *A second Latin reader*, Oxonii, Clarendon Prelo, MCMLXII;

C. W. Baty, *A third year Latin reader*, Oxonii, Universitatis Prelo, MCMLXI;

C. E. Robinson, *Latinum*, Camboriti, Universitatis Prelo, MCMLXII;

C. E. Robinson et P. G. Hunter, *Roma*, Camboriti, Universitatis Prelo, MCMLXIV;

C. E. Robinson, *Romani*, Camboriti, Universitatis Prelo, MCMLXIV;

J. M. Cobban et R. Colebourn, *Civis Romanus*, Londini, Methuen & Co. Ltd., MCMLXIII;

J. M. Cobban, *Pax et imperium*, Londini, Methuen & Co. Ltd., MCMLXII;

T. S. Morton, *Legends of gods and heroes*, Londini, Mac Millan & Co. Ltd., MCMLXII;

W. E. P. Pantin, *Caesar in Britain*, Londini, Mac Millan & Co. Ltd., MCMLXII;

Walter Madeley, *Noctes Latinae*, Londini, Mac Millan & Co. Ltd., MCMLXIV;

Maud Reed, *Julia*, Londini, Mac Millan & Co. Ltd., MCMLXII;

Maud Reed, *Camilla*, Londini, Mac Millan & Co., MCMXIII;

Dora Pym et Nancy Silver, *Alive on men's lips*, Slough Bucks, Centaur Books Ltd., MCMLXIV;

M. Lyne, *Personae comicae*, Slough Bucks, Centaur Books Ltd., MCMLXIII;

A. R. Nash - Williams, *Verbocrix: puer fortissimus*, Slough Bucks, Centaur Books Ltd., MCMLXIII;

A. H. Nash - Williams, *Sodales duo*, Camboriti, Universitatis Prelo, MCMLXII;

E. O. Furber, *Vivus per ora*, Slough Bucks, Centaur Books Ltd., MCMLXIV;

F. Dale, *Latin words, phrases, mottoes, quotations in common English usage*, Londini, Ginn and Company Ltd.

(in usum Germanice loquentium) Hermann Weller, *Carmina Latina*, Secunda editio aucta, Bonnae, Fed. Dümmlers Verlag, MCMXLVI.

Maxime autem oportet, ut naturae ratio adhibeatur ad linguam Latinam instituendam quotidiano sermoni aptatam ac proinde vocabulis ornatam, quae exprimere valeant mutatas temporum condiciones consuetudinesque, scientiarum atque artium incrementa, sociales et oeconomicos processus, uno verbo, civilis cultus progressum; nam aliter vanum esset sperare Latinam linguam denuo viventem ac universalem fore.

Liber, quem supra commemoravi, cuique *Le latin sans peine* est index, iam conatur Latinum hodierno usui accommodare. Alii quoque libri editi sunt reviviscenti Latinitati inservientes; exempli gratia:

G. Schwieder, *Latine loquor*, Editio altera, Romae-Friburgi Brisg. - Barcinone, Herder, MCMLXIII;

(in usum Hispanice loquentium) G. Capellanus, *Guía de conversación latina*, qui liber manualis auctus et ad diem adaequatus est a Prof. Hans Lamer, et e Germanico in Hispanicum conversus aptatusque a R. P. José María Jiménez, C. M. F., Barcinone, Gustavo Gili, MCMXXXVI;

P. Jorge Mühn, S. I., *Vademecum Latinum*, Bonis Auris, MCML;

P. Emilio Fornés, S. I., *Ejercicios latinos de vocabulario y fraseología*, Barcinone, Editorial Librería Religiosa, MCMXLII;

(in usum Francogallice loquentium) G. Capellanus, *Parlez vous latin?*, Bibliotheca Vitae Latinae, Avennionae, Aubanel;

H. Batiffol, *Expressions usuelles de la langue latine*, Toulouse-Edouard Privat - Paris, Henri Didier.

(in usum Germanice loquentium) Georg Capellanus, *Sprechen Sie Lateinisch?*, cura Ludwig Spohr, Bonnae, Ferd. Dümmlers Verlag, MCMLXVI;

(in usum Italice loquentium) Cesare Paperini, *Impara a parlare e a scrivere nella lingua latina*, Augustae Taurinorum, SEI, MCMLIII;

Luigi G. Cognasso, *Colloquia Latina*, Augustae Taurinorum, SEI, MCMXXXVII;

Federico Agno - Giulio Antonibon, *Avviamento al conversare latino*, Patavii,

Libraria Domus A. Draghi, MCMXXIX;

Ernesto Curotto, *Colloqui e motti latini*, Altera editio, Augustae Taurinorum, SEI, MCMXXXVIII;

Filippo Castellazzo, *Le eleganze del latino*, Altera editio, Augustae Taurinorum, SEI, MCMXXXVII.

Si "omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci", ut ait Horatius in sua Epistula ad Pisones de Arte Poetica (v. 343), aliquid dulce et in revirescenti Latinitate suadere possum, suadendo, v. gr.:

commentarios periodicos, quibus titulus *Acta Diurna*, editos a Societate Libraria Centaur Books Limited;

opusculum, cui index est *Latin crosswords from Acta Diurna*, id est Verba Quadrata (vel Aenigmata Verbalia), quodque compositum est a R. D. Wormald et typis eiusdem Societatis Librariae anno MCMLXIII vulgatum;

fasciculum *Carmina* inscriptum, qui continet *Latina Carmina* notis musicis instructa, quae Sidney Morris congegessit et eadem Societas Libraria anno MCMLXII in vulgus prodidit;

(in usum Germanice loquentium) *Bella bulla*, quo libello iocosa et curiosa et hilaria Latine dicta collegit Doctor Hans Weis, Bonnae, Ferd. Dümmlers Verlag, MCMLXIV.

Hactenus suasi quod discipulis perutile esse possit. Potissimum autem nobis, Latinitatis magistris, nonnulla saltem pars talium subsidiorum adipiscenda est et callenda. Et quia duces eoque praestantiores in Latinitate esse debemus, ego vobis aliquid amplius suadere ausim.

Consilium commentariis moderandis, quibus *Latinitas* est titulus, constituendum curat Thesaurum Latinitatis, sive bibliothecam, quae in lucem proferat opera gravi utilique materia, quae post renatas litteras aut Latine conscripta sint neque umquam prelo impressa aut, si impressa, hodie difficilia sint inventu, aut nostris hisce diebus composita sint. Cuius Bibliothecae duo volumina adhuc foras data sunt, quae sequuntur:

Aloysii Galvani, *De ossibus lectiones quattuor*, curantibus M. Pantaleoni et G. Calboli, Bononiae in Aedibus Compositori, anno MCMLXVI;

Xanthi Viriati, *Scripta Latina nunc primum edita*, curante Hamleto Tondini, Bononiae in eisdem Aedibus Compositori, a. MCMLXVII.

Ambo volumina prooemio, annotationibus et interpretatione Italica adornata sunt. Ambo valde digna mihi videntur quae vobis commendentur. Itemque tria volumina Aemilii Springhetti Soc. Iesu, quae inscribuntur:

*Selecta Latinitatis scripta auctorum recentium (Saec. XV - XX),  
Institutiones stili Latini,  
Exercitationes variae stili Latini,*

quaeque Romae apud Pontificiam Universitatem Gregorianam edita sent, primum a. MCMLI,

secundum a. MCMLIV, tertium a. MCMLXVI.

Si praeterea in viva Latinitate, ut Latinitatis praeceptores decet, multum proficere cupitis, vehementer vos hortor ut, nisi hoc facere soliti iam sitis, quantocius annum pretium solvatis pro accipiendis litterarum Latinarum commentariis, quales sunt:

*Vox Latina*, trimestres commentarii, qui prope Monacum in Germania occidentali publicantur (Pretium 15, 50 marcorum Germanicorum mittatur oportet ad editorem: Dr. Hans Werner, 8012 Ottobrunn, Spitzwegstrasse 1, Alemania Occidental);

*Vita Latina*, quadrimestres commentarii Avennionae editi (Pretium 15 francorum Gallicorum mitti oportet ad: Maison Aubanel Pere, 7, Place Saint - Pierre, 84 - Avignon, Francia);

*Latinitas*, commentarii quater in anno ex Urbe Vaticana prodeuntes (Pretium 5 dollarium (vel dollariorum) USA (id est Foederatarum Americae Septentrionalis Civitatum) mittatur ad: "Latinitas" - Città del Vaticano);

*Palaestra Latina*, trimestres commentarii Caesaraugustae in Hispania a Sociis Claretianis editi (Pretium 80 pesetarum mittendum est ad: San Antonio M. Claret, 9, Zaragoza, España);

*Gymnasium*, commentarii quinto quoque mense, Bogotae in Columbia, cura Patrum Claretianorum editi (Pretium 1 dollaris USA mitti debet ad: Carrera 15, N. 10 - 41, Bogotá, D. E. Colombia).

Eodem modo denique hortor vos, spectatissimi sodales, ut unum vel dicam aliquot lexica consequamini, quae nova verba ad res novas significandas complectantur. En, ex mea sententia, potiora:

Card. Antonii Bacci, *Lexicon vocabulorum quae difficilius Latine redduntur*, editio quarta, Romae, Societas Libraria "Studium", MCMLXIII;

Antonio Chiesa, *Dizionario Italiano Latino integrativo antico e moderno ad uso delle Scuole Superiori e dell'Università*, in Aedibus Compositori, Bononiae, MCMLXVI;

*Lexicon novorum vocabulorum quae e libellis Latinitatis primis decem annis (MCMLIII - MCMLXIII) in vulgus editis excerpterunt* H. Tondini et Th. Mariucci, Desclée & C., Romae - Lutetiae Parisiorum-Tornaci (vel Turnaci)-Neo-Eboraci (vel Novi Eboraci), MCMLXIV;

*Locutionum cotidianarum glossarium*. Tertiam editionem auctam et locupletatam conflavit Bonamicus Actensis (= Goodwin B. Beach) adiuvante Fordo Ludovico Pugnace (= Ford Lewis Battles) Hartfordiae Connecticutensium;

Luigi Cognasso, *Il latino per l'uso moderno*, Altera editio, Augustae Taurinorum, SEI, MCMXXXVI;

Aemilii Springhetti, S. I., *Lexicon linguisticae et philologiae*, Romae apud Pontificiam Universitatem Gregorianam, MCMLXII.

Quoad nomina valde commendandum:

Caroli Egger *Lexicon nominum virorum et mulierum*, quod secundo edidit Societas Libraria "Studium", Romae, a. MCMLXIII.

Labor profecto nos opperitur, labor improbus. Sed pretium operae est: nobilissima enim causa urget nos. Omnes itaque qui Latinitatem amamus, vires contendamus animosque erigamus, nam, ut Vergilius asseverat, "labor omnia vincit improbus" (Georgicorum liber I, 144-145) et "omnia vincit amor" (Eclogae, X, 69).

## ORATIO DE INSTITUTIONE LINGVAE LATINAE LATIUS ET EFFICACIUS IN SCHOLAM MEDIAM ARGENTINAE INDUCENDA

(Mendossae, in Symposio Nationali de Studiis Classicis,  
mense Maio anni MCMLXX) \*

### ARGUMENTA

1. - Patriae parentes veteresque civitatis proceres Latinis litteris linguaque imbutos sese ostendunt. Nam:

a) IOSEPHUS A SANCTO MARTINO (1778-1850) duos annos Matrili in Ephebeo Nobilium transegit, ubi tunc temporis Ratio atque Institutio Studiorum Societatis Iesu adhuc vigeat. Qua celeberrima Ratione Studiorum discipuli primo antiquis linguis auctoribusque Graecis et Latinis instruebantur. In illo ephebeo linguam Latinam doceri una cum Francogallica et Hispanica Bartholomaeus Mitre in libro refert, quem de vita Patris Patriae composuit<sup>1</sup>. Idem autem asseverat eum inter auctores maxime omnium dilexisse tum Guibertum tum Epictetum, cuius sententias servabat vel servare studebat ut miles et philosophus actuosus (vel negotiosus)<sup>2</sup>.

b) EMMANUEL BELGRANO (1770-1820) prima studia Bonis Auris exercuit in Regio Ephebeo ex Sancto Carolo nomen trahente, ubi, ut Emmanuel Moreno in vita fratris Mariani testatur, grammatica Latina adeo perfecte atque absolute docebatur, ut perveniretur ad optimos auctores poetasque intellegendos atque imitandos<sup>3</sup>.

c) MARIANUS MORENO (1778-1811) quoque, cum tertium decimum annum ageret, in Ephebeo a Sancto Carolo grammaticam Latinam discere coepit<sup>4</sup>, tantumque decursu temporis profecit, ut non solum lingua Latina tam facile atque expedite uteretur quam nativa, verum etiam nonnulla carmina Latina conscriberet<sup>5</sup>.

d) DOMINICUM FAUSTINUM SARMIENTO (1811-1888) Presbyter Oro aliqua Latinitate imbutus non per celebrem grammaticam Hispanici Nebrija (vel Lebrija) neque per Ovidium vel Cornelium in ephebeis usitatos, sed per librum quendam Iesuitarum de geographia in usum scholarum editum. Sarmiento ipse olim dixit institutionem Oro sibi clavem praebuisse, qua facile sermones recentiores disceret<sup>6</sup>.

e) IULIUS A. ROCA (1843-1914) quarto decimo aetatis suae anno in Uruquarianum Ephebeum (vulgo: Colegio del Uruguay) intravit<sup>7</sup>, ubi per triennium versatus est, semper in Latinitate excellens<sup>8</sup>. Exinde procul dubio summum in eius animum studium profluxit et amor cum Plutarchi tum Vergilii<sup>9</sup>. Paraquariano autem bello generalis militiae praefectus Ioannes Gelly y Obes idemque summus dux exercituum, eum aliquando in praetorio deprehendit Titum Livium vel Caesarem legentem.

---

\* ORBIS LATINUS, 4 (MCMLXXII) 131 - 136.

Villelmus (vel Gulielmus) Furlong, S. I., de viris agens patriae amantibus qui vergente iam coloniae ditionis aetate pro civitate in libertatem vindicanda pugnaverunt, demonstrat eos tam excelso, aequo, forti, firmo, gravi, generoso animo fuisse, ut non homines tantummodo putares, at semideorum progeniem. Talesque fuerunt, ex sententia suprafati sodalis Academiae Nationalis Historiae, beneficio tum vulgatae tum aptae institutionis, quae et in multis ac praestantibus scholis primordiorum dabatur, et in scholis secundi ordinis quae vere mentis aciem exquisitumque venustatis sensum fingeant, et in Universitatibus quarum studia arte logica informabantur et vitae necessitatibus accommodabantur<sup>11</sup>.

Humanistica ergo institutio, in qua lingua litteraeque Latinae primas partes agebant, multum profuit antiquitus civibus patriae amantibus civitatisque proceribus ipsisque patriae parentibus formandis. Nonne etiam nunc eadem institutio multum profutura videatur in adulescentibus nostratibus optime educandis, si iterum in mediis ordinis schola decentius restituatur?

2- Praecipue classica fuere quidem in patria nostra secundaria studia usque ad Praesidem Mitre (1862-1868). Qui mori a maioribus tradito adversatus est cum scientias induxit, magnam eis vim tribuens, in octo Ephebea Nationalia (vulgo: Colegios Nacionales) quae ipse condidit<sup>12</sup>. Anno vero 1905 Ioachimus V. González institutiones Latinitatis in secundi gradus studiis abolevit hoc argumento nisus: Carere Argentinam professoribus qui vere apti essent ad linguam Latinam tradendam<sup>13</sup>. At si hoc argumentum valeret, neque physica atomica (vel nuclearis vel atomi-nuclearis) neque logica symbolica (vel mathematica vel recens), ut aliquo exemplo utar, nunc in patria nostra doceretur. Si igitur tunc idoneis Latinitatis praeceptoribus Argentina carebat, satis erat eos convenienter fingendos vel domi vel peregre curare.

3- Supremo Consilio litteris apud omnes gentes provehendis, quod compendiaris litteris vulgo UNESCO nuncupatur, abhinc paucos annos hoc votum traditum est: "Optandum est ut classicis linguis instituantur scholae mediae alumni quorum ingenium idoneum sit ad eas discendas, nulla ratione habita societatis ordinum, inque id studium primo quoque tempore incumbant, hoc est cum primum e ludis elementariis in gymnasia vel lycea ingrediantur"<sup>14</sup>. Huic voto minimam partem respondent Ratio atque Ordines Studiorum in Argentinis scholis secundi ordinis ex anno 1956 vigentes. Cur in eis Latinitatis studium Primo Cyclo (vulgo: Ciclo Básico) circumscribitur, quin etiam nonnullis classibus nonnullorum Ephebeorum in nonnullis urbibus exstantium et per duas tantum horas hebdomadales singulis annis? Res prorsus miranda, praesertim si in memoriam revocetur quod in superiore Ratione Studiorum de Latino legebatur: "firmum fundamentum praebet ad penitus discendam linguam Hispanicam ceterosque sermones ab eo ductos; haud dubiam vim possidet ad mentem ex logice fingendam eoque introducto in Priorem Cyclum scholastici consuetudines iungent cum pristinis occidentis gentium (vel terrarum ad occidentem vergentium) cultus humanitatisque fontibus, a quibus cultura nostra haurit"<sup>15</sup>.

4. - Anno 1960 a die quarto ad diem quartum decimum mensis Martii apud Aquarum Receptaculum (vel Stagnum Artificiosum) Fluminis Tertii (vulgo: Embalse de Río Tercero) primum Seminarium Nationale de Educatione celebratum est, cui interfuerunt 174 Professores legati, ex quibus 104 venerant ex publicis, 70 autem ex adscriptis scholarum sedibus, et hi tamen et illi partes agentes non suae quisque scholae, sed sui quisque Seminarii Regionalis (7 fuerant huiusmodi Seminaria), ubi libere electi erant a plus quam 800 legatis Seminariorum Scholarium primo in 850 ephebeis publicis necnon et in 480 adscriptis habitorum. Omnia autem Seminaria convocata erant, ut necessaria reformatio scholae mediae perpenderetur. In conclusionibus vero in culmine, id est in Seminario Nationali, approbatis, monebatur, ut in novanda Ratione

Studiorum lingua Latina disciplina praeceptiva esset, quae primas teneret, in omnibus classibus Primi Cycli; pressius, ut Latino sermoni idem horarum numerus tribueretur ac Hispanico; praeterea, ut Latinitati vacaretur etiam in Secundo Cyclo lyceorum vel ephebeorum classicorum (vulgo: en el Ciclo Superior del Bachillerato clásico)<sup>16</sup>. Sic proposuerunt viri delecti ad examinandum tum quid nova Ratione Studiorum continendum et quo per eam tendendum esset, tum supra quae fundamenta ordines studiorum in unaquaque institutionis parte struendi essent. Quod illi delecti viri proposuerunt, conventus omnis ratum habuit. Ac nihilominus nondum ad effectum perductum est.

## CONCLUSIO

Ex dictis sponte fluit conclusio: Latinitas in nostras medii ordinis scholas inducenda est, prout pristinus mos patrius fert, prout etiam expostulat lingua et cultura nostra, et secundum vota approbata in Seminario Nationali de Educatione prope Aquarum Receptaculum Fluminis Tertii celebrato. Caveant ergo huius Symposii moderatores, ut omnium nostrum nomine a Ministerio Educationis Nationalis petant ac flagitent, ut tali modo schola media Argentina rursus et convenienter afflatu classico quam primum animetur.

<sup>1</sup> Cf. HISTORIA DE SAN MARTÍN, Bonis Auris, Societas Libraria "Albatros", a. 1950, p. 90.

<sup>2</sup> Cf. ib., p. 86.

<sup>3</sup> Cf. VIDA Y MEMORIAS DE MARIANO MORENO, Bonis Auris, "La Cultura Argentina", a. 1918, p. 35.

<sup>4</sup> Cf. ib., p. 30.

<sup>5</sup> Cf. ib., p. 37.

<sup>6</sup> Cf. Ricardo Rojas, EL PROFETA DE LA PAMPA - VIDA DE SARMIENTO, Bonis Auris, "Losada", a. 1948, p. 62 - 63.

<sup>7</sup> Cf. Leopoldo Lugones, ROCA, Bonis Auris, a. 1938, p. 35.

<sup>8</sup> Cf. ib., p. 88.

<sup>9</sup> Cf. ib., p. 91.

<sup>10</sup> Cf. ib., p. 110 et p. 114 in nota.

<sup>11</sup> Cf. Praefationem libri qui inscribitur LAS CONVICCIONES RELIGIOSAS DE LOS PRÓCERES ARGENTINOS et qui a J. Luis Trenti Rocamora scriptus est, Bonis Auris, "Huarpes", a. 1944, p. 7 - 8.

<sup>12</sup> Cf. B. González Arrili, SESENTA AÑOS DE REPÚBLICA, Bonis Auris, "La Obra", a. 1940, p. 97.

<sup>13</sup> Cf. Manuel Horacio Solari, POLÍTICA EDUCACIONAL ARGENTINA, Bonis Auris, "El Ateneo", a. 1900, p. 157.

<sup>14</sup> "Il est à souhaiter que l'enseignement des langues classiques dans les établissements de second degré s'adresse aux enfants aptes à le recevoir intellectuellement parlant, en dehors de toute considération de la classe sociale, et que ceux-ci débutent dans cette étude le plus tôt possible, c'est à dire des le passage de l'école primaire dans les gymnases ou lycées". Hoc votum commemoratum inveni in COMMENTARIO PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS, Vol. XXXVIII - Fasc. I-II, Romae, 1959, p. 107.

<sup>15</sup> Cit. a Manuel Solari in POLÍTICA EDUCACIONAL ARGENTINA, p. 152.

<sup>16</sup> Ex relatione "Contenido y Orientación de los Planes y Programas de estudio para cada rama de la enseñanza" (Comisión n. 29):

### Considerando:

a) Que la historia de nuestra civilización y de la misma cultura universal no registra ningún

otro medio más conducente al desarrollo de la inteligencia y a la formación integral del hombre que el estudio de las lenguas y culturas latina y griega;

b) Que la lengua latina en particular es indispensable para entender a fondo nuestra lengua, que es romance, y que la cultura latina, cuyo dominio se adquiere tan solo con un contacto inmediato e íntimo, es indispensable para comprender nuestra misma cultura y civilización occidental,

**Se recomienda:**

1º Que en la reestructuración de la escuela media se asigne lugar preferente al estudio de las humanidades clásicas, especialmente de las latinas;

2º Que en el ciclo básico de todas las divisiones se incluya el latín como materia de promoción y equiparándolo al castellano en el número de horas de clase" (Seminario Nacional de Educación - Conclusiones Finales, p. 152-153).

**Ex relatione "Bases para la reforma de los programas de estudio de cada rama de la enseñanza" (Comisión N° 30)**

"LATIN"

Se incluirá el estudio del Latín como materia de promoción, con una cantidad de horas equivalente a las de Castellano, y se proseguirá su estudio en el Ciclo Superior del Bachillerato Clásico como para que dé resultados reales, por constituir:

- a) El medio más apto para formar hábitos mentales, necesarios para una formación superior;
- b) Un estudio superior de nuestra lengua; y
- c) Un estudio vivo y un medio para la asimilación de una cultura eminente y que es madre de la nuestra (ib., p. 159-160).

**ORATIUNCULA DE ALIQUO LEGATO ARGENTINO  
MITTENDO AD BUCARESTIENSEM CONVENTUM  
LATINIS LITTERIS LINGVAEQUE PROMOVENDIS**  
(Mendossae, in Symposio Nationali de Studiis Classicis,  
mense Maio a. MCMLXX).

Hoc anno Bucarestii (vel Bucarestini vel Bucurescii vel Bucurestiis) a die XXVIII mensis Augusti ad diem III mensis Septembris Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaeque fovendis celebrabitur. Sic statuit mense Aprili anni MCMLXVIII Collegium Latinitati inter omnes gentes fovendae, quod Romae apud Institutum Romanis Studiis provehendis constitutum est, prout Latinitatis cultores voluerunt, qui Conventui interfuerant mense Aprili anno MCMLXVI in Urbe habito.

Petrus Romanelli, eiusdem Collegii Praeses, necnon et Nicolaus Barbu, Consilii Conventui moderando Praeses, Collegii et Consilii nomine, Academias, Societates, Universitates studiorum, doctos viros, omnesque Latinitati faventes invitarunt, ut proximo Conventui interessent. Nescio an quis ex Argentina in huiusmodi Conventu adesse velit. Pro certo scio neminem Argentinum interfuisse novissimis Conventibus de Latinitate Romae et Avennione celebratis. Nomen autem suum Romano Conventui professi sunt in Latinitate periti ex viginti sex nationibus, videlicet ex Austria, Belgio, Brasilia, Burundi, Canadia, Cecoslovachia, Civitate Vaticana, Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, Dacoromania, Finnia, Francogallia, Helvetia, Hibernia, Hispania, Hollandia, Germania Occidentali, Germania Orientali, Graecia, Iaponia, Italia, Iugoslavia, Melita, Polonia, Turcia, Unione Sovietica; quae nationes etiam viros doctissimos delegerunt, ut partes suas agerent in Collegio, quod supra memoravi.<sup>1</sup>

Ad Conventum vero, qui nuper, id est tempore paschali prioris anni diebus I, II, III mensis Aprilis, Avennione habitus est, amatores Latinitatis confluerunt ex una et viginti terris, quae sunt: Austria, Belgium, Britannia, Canadia, Cecoslovachia, Civitas Vaticana, Civitates Confoederatae Americae Septentrionalis, Dacoromania, Dania, Francogallia, Germania Occidentalis, Helvetia, Hispania, Hollandia, Hungaria, Italia, Iugoslavia, Lucemburgum, Lusitania, Polonia, Suetia<sup>2</sup>.

In proximo Conventu tractabitur:

1. De cultura humanitateque Latina.
2. De Latinitatis vi in culturis, litteris artibusque vernaculis constituendis.
3. De Latinis litteris aetatis mediae renatarumque litterarum.
4. De Vergilii vi in litteris artibusque vernaculis constituendis.
5. De optimis rationibus docendae linguae Latinae<sup>3</sup>.

Iam orationum oratorumque ordo nuntiatus est. Res propositae profecto omnibus nobis cordi sunt; quin etiam eadem nunc a nobis tractantur. Si igitur causa nostra congruit cum causa Latine doctorum omnium nationum, nonne oportebit, quandoquidem, ut

aiunt, «vis unita fortior», aliquis ex nobis, Argentinae personam gerens, Bucarestiensi (vel Bucarestiniano) Conventui adsit? Hoc liquido patet, si perpendimus Collegium ipsum omnium gentium Conventibus de Latinitate constituendis constare vel ex sociis, qui cives sunt nationum tam pusillarum ut Melita vel etiam tam alienarum ab occidentali cultura ut Burundi et Iaponia. Si praeterea Brasilia adest tum in Collegio tum in Conventibus de Latinitate, quin Argentina quoque aderit, saltem in Conventibus, quippe quae natio sit specialiter digna Continenti, cui sane America Latina nomen est?

Taberna Dacoromana centralis Officii peregrinationibus procurandis, cui receptio, mansio, peregrinationesque eorum qui Conventui interesse volent, curae sunt, iam edocuit de litteris liberi commeatus, de transvectionibus, de receptione hospitem, de nummorum mutatione, quo modo et quanti in deversoriis habitari possit, quo modo aliquis Conventus habendi particeps esse possit, de formulariis inscriptionis, de rationibus tributi socialis solvendi<sup>4</sup>. Tantummodo restat ut unus nostrum Conventui intersit. Mea quidem sententia, opportunum videtur ut, si nemini ex nobis in animo sit Conventui apud Dacoromanos suo sumptu interesse, Conventus noster aliquem deligat, cui postea providebitur, verbi gratia per intercessionem Administri publicae institutioni praepositi, ut idoneum viaticum detur.

-----

#### ADNOTATIONES

<sup>1</sup> Cf *Palaestra Latina* 201 (1968) 33; *Vox Latina* 18 (1969) 46.

<sup>2</sup> Cf *Vox Latina* 16 (1969) 13.

<sup>3</sup> Cf *Vox Latina* 18 (1969) 47-48.

<sup>4</sup> Cf *ib.*, p. 50-53.

**RELATIO DE SYMPOSIUM NATIONALI DE STUDIIS  
CLASSICIS MENDOSSAE (in Argentina) HABITO \***

A die IV ad diem VIII mensis Maii huius anni (MCMLXX) Symposium Nationale de Studiis Classicis celebratum est Mendossae, in urbe principe cognominis provinciae Argentinae occidentem versus sitae. Id Symposium designaverant ac paraverant moderatores Instituti Classicarum Linguarum et Litterarum in Facultate Philosophiae et Litterarum exstantis atque ex Nationali Universitate Cuiana pendentes. Ut Symposii Consilium Curatorium petiverat, ii, quorum intererat, commentationes, communicationes et vota antemiserant. Summa autem subducta, sex et quinquaginta evaserunt commentationes et communicationes, novem vero vota. Ex omnibus nationis partibus, et non nemo ex finitima Republica Chiliensi, Mendossam ad Symposium confluerant duodecentum professores, cui Symposio etiam alii quinquaginta quattuor interfuerunt in ipsa urbe Mendossa domicilium habentes. Ex advenis plerique venerant legati suae quisque Universitatis studiorum sive nationalis sive privatae vel sui quisque Altioris Instituti Professoribus Instituendis pariter sive publici sive privati.

Die IV mensis Maii, Lunae die, hora decima, in Aedibus Facultatis Philosophiae et Litterarum, adstantes Praesidium Symposii elegerunt unum sodalem nominando pro unaquaque universitate nationali, tres pro universitatibus privatis, duos pro publicis institutis superioris ordinis professoribus formandis, itemque duos pro huiusmodi institutis privatis, unum denique pro Inspectione Technica Ministerii Culturae et Educationis. Symposii Praeses creatus est Professor Aurelius R. Bujaldón, qui vice fungebatur Universitatis Cuianae, ubi Sectioni (vel provinciae) praeest Studiorum Latinitatis in Instituto Classicarum Linguarum et Litterarum. Mox inauguralis sessio habita est. Postquam omnes patrium hymnum concinerunt et subinde Universitatis Chorus, moderante Iosepho Philippo Vallesi, nonnulla cantavit cantica, Decanus Facultatis Philosophiae et Litterarum, Dr. Carolus O. Nallim, orationem auspicalem recitavit. Postea omnes qui aderant ad Praesidium producti sunt a Secretario Exsecutorio Symposii, Prof. Vincentio V. Cicchitti, qui etiam prosperum conventum ominatus est. Deinde apud congregatos verba quoque fecit et mulier Professorissa Fugazzotto, nomine eorum qui diplomata academica consecuti sunt, et dominula Ramallo, nomine condiscipulorum universitatem frequentantium. Postremo copiosa propinatio oblata est a Societate Amicorum Instituti Classicarum Linguarum et Litterarum.

-----

\* ORBIS LATINUS, 2 (MCMLXXI) 75-79.

Eodem die, hora decima septima decem Consilia constituta sunt, quae examinarent commentationes, communicationes et vota: tria Methodologiae, tria Litterarum, unam Linguae, unam Historiae et Archaeologiae, unam Philosophiae quaestionibus perpendendis, et unam votis considerandis. Statim Consilia opus susceperunt eique institerunt usque ad horam vicesimam; ad illud vero perficiendum rursus se contulerunt postero die ab hora decima usque ad duodecimam.

Pariter secundo Symposii die, die Martis, hora tertia decima nonnulli professores sermonem contulerunt per Nonum Canalem Radiotelevisificum urbis diffusum. Hora quinta decima et dimidia Prof. Carolus Disandro acroasin fecit in Cathedra Linguae et Culturae Graecae tertii cursus subtiliter persequens quid de homine sentiret Sophocles. Hora septima decima frequentissima sessio habetur, in qua singuli relatores scriptis nuntiaverunt quae singula Consilia egerant, disceptaverant ac censuerant.

Die VI mensis Maii, Mercurii die, hora nona semis qui Symposio intererant in Curiam Urbanam convenerunt, ubi a Municipii Moderatore, Dr. Raphaele Guevara Anzorena, benigne recepti sunt. Deinde duabus autoraedis longis et nonnullis autocinetis vecti, per amoenitates urbi propinquas spatiiati sunt. In hac gestatione invisere licuit domum colonicae dicionis aetate aedificatam et a coniugibus Suárez Videla adhuc habitatam; itemque tum ingens doliarium "Peñaflor" nuncupatum visere fas fuit tum ibidem, hora tertia decima cum dimidio, opiparo convivio delectari incipere, quo qui doliario praesunt officiose instruxerant.

Hora septima decima et dimidia Symposii Praesidium una cum Consilio ad hoc constituto vota scriptis mandata percensuerunt, quae postea conventus consideravit. Inter sessionem Prof. Iosephus A. Rasquin designatus est ad Symposii optata et statuta referenda. Cum sero iam esset, consessus intermissus est ut Symposii conclusio sollemniter fieret ex praefixo rerum ordine. Paucis verbis a Prof. Iosepho A. Rasquin factis, orationem habuit Rector Nationalis Universitatis Cuianae, Dr. Iulius Iosephus Herrera. Consessus intermissus mox revocatus est ut pergeretur de votis disputare.

Quo facto, novus conventus constitutus est ad condendam Consociationem Argentinam Studiis Classicis Provehendis. Cuius conventus Praeses nominatus est Prof. Albertus Vaccaro et ab actis Professorissa Irma Alsina, Professoris Arturi Roig uxor. Decrevit conventus Consociationem Argentinam Studiis Classicis Promovendis condere, Statuta a Consilio Curatorio Symposii conscripta in universum approbare, ad proximum autem congressum differre approbationem singulorum articulorum, cum tempus deesset ad considerate diligenterque tale negotium tractandum. Conventus Consilium quoque creavit, quod denuo Statutis vacaret, decrevitque ut illud nova Statuta litteris mandaret et ad novam congressionem convocaret ut ea certe et definite approbarentur.

Diebus IV, V et VI mensis Maii, hora vicesima altera, in Theatro Municipali a Richardo Milán nomen trahente, Municipalis Praesidii Culturae Fovendae auspicio, duo spectacula oblata sunt et unum acroama. Pressius: die IV, praefatione facta a Prof. Iosepho Maria Del Col, quidam Universitatis scaenici actores comoediam Terentii cui index "Adelphoe" in scaenam induxerunt, non integre tamen eamque legentes, sed perbelle legentes. Comoedia in Hispanicum facile currens conversa erat ab Adolfo Ruiz Díaz, Nationalis Universitatis Cuianae Professore, qui etiam partes Demeae egit. Personam autem Micionis gessit Vincentius Cicchitti, Moderator in eadem Universitate Instituti Linguarum et Litterarum. Quod duo Universitatis professores cum suis alumnis fabulam agerent, maximam adstantium admirationem movit.

Die V, post verba introductoria Professoris Caroli Ronchi March, summa arte tragoedia Euripidis lecta est cui titulus "Medea", quaeque in concinnum Hispanicum sermonem translata erat ab Ignatio Granero, suprafatae Universitatis professore. Actorum scaenicorum corpus ex alumnis Universitatis constabat, inter quos excellentissima fuit dominula Elisabetha Cortopassi, Medae partes explens. Adiutricem operam praestiterunt alumnae Scholae Ludi Magistris Instituendis.

Die VI, sociam navante operam Altiore Musicae Schola Universitatis Cuianae, auditio effecta est, cuius programma fuit hoc: primo, Sonata K - 370 a Mozart composita ut oboe et plectrocymbalo caneretur; oboe cecinit Ioannes Iosephus González, plectrocymbalo Georgius Fontanella. Secundo, Pindari Lyricum carmen "Pythica I". Carmen in Hispanicum sermonem egregie a Prof. Ignatio Granero versum, ingeniose modis musicis ornatum et recitationi aptatum erat a compositore Prof. Eduardo Grau; monodiaris oboes fuit Ioannes Iosephus González, recitator vero ipse Grau.

Die VII mensis Maii, Iovis die, hora decima cum dimidio invisum est doliarium cui nomen "Toso", ibique adstantes invitati sunt ad degustanda varia genera vinorum optimorum et campanici, quae ibidem conficiuntur.

Postremo, die VIII mensis Maii, Veneris die, hora vicesima, in Theatro "Independencia" appellato, Universitatis Symphoniaca Sodalitas concentum habuit, quem Provincialis Culturae Praesidium necnon Altior Musicae Schola habendum curaverant ut sic ostenderetur se propositis Symposii assentiri.

Conventu peracto, declarandum est:

(I) Symposium quam accuratissime paratum esse a Consilio Curatorio.

(II) Professores et alumnos Facultatis Philosophiae ac Litterarum Nationalis Universitatis Cuianae, cui titulus est: "In spiritus remigio vita", praeclarum exemplum advenis congregatis praebuisse tum quoad classicarum linguarum et litterarum studium tum quoad comitatem et affabilitatem.

(III) Omnium collegarum animos a Symposio valde confirmatos atque excitatos esse et ad Graecitatem et praesertim ad Latinitatem in schola Argentina excolendam ac provehendam.

(Hanc relationem die XXIV mensis Maii a. MCMLXX Latine exaravit Iosephus Maria Del Col, s.d.b., professor in Instituto Professoribus Instituendis a Ioanne XXIII nomen trahente et in Argentina urbe Sinu Albo stante, prae oculis habens relationem publicam de Symposio Nationali de Studiis Classicis Mendossae die XV eiusdem mensis in lucem emissam, Mendossensia acta diurna "Andina Iuga" (vulgo: "Los Andes") diebus IV, V, VI eiusdem mensis publicata, necnon et generale Symposii programma et programmata spectaculorum et acroamatis quae in Mendossino Theatro a Richardo Milán appellato inter Symposium effecta sunt).

**CONSOCIATIONIS ARGENTINAE STUDIIS CLASSICIS  
PROVEHENDIS STATUTA \***

In I Symposio Nationali de Studiis Classicis Mendossae (in Argentina) celebrato a die IV ad diem VIII mensis Maii anni MCMLXX, visum est Consociationem Argentinam Studiis Classicis promovendis condere. Cuius vero Consociationis insequenti anno haec Statuta approbata et promulgata sunt.

CAPUT I. De Consociatione eiusque propositis

Art. I. Constituitur Consociatio Argentina Studiis Classicis Provehendis (compendiariis litteris A.A.D.E.C., ad Hispanicam locutionem "Asociación Argentina de Estudios Clásicos"), quae Cordubae legitimam sedem<sup>1</sup> habeat, ambitum vero civilem tota in Republica.

Art. II. Haec Consociatio sibi proponit:

a) De classicae antiquitatis monumentis in omnes partes (nempe litterarias, linguisticas, historicas, philosophicas, archaeologicas, etc. ) investigationem promovere, quae simul ad antiquas Orientis litteras pertinebit necnon ad vim humanitatis classicae in humano civilique cultu gentium<sup>2</sup> constituendo.

b) Sociam navare operam ad methodologiam renovandam in linguarum classicarum institutione.

c) Operam conferre ut acroasibus<sup>3</sup> studium diffundatur humanitatis classicae directius cognoscendae.

d) Necessitudinem coniungere cum omnibus in eadem doctrinae provincia laborantibus, quo facilius inter ipsos eruditionis commercium reddatur.

Art. III. Haec Consociatio solum proposita ad eruditionem pertinentia persequetur, abhorrens a quolibet fine negotiatorio<sup>4</sup> seu religioso seu politico, neque ex lege subiecta erit institutis publicis, etsi ab ipsis opem recipere possit.

---

\* ORBIS LATINUS, 5 (MCMLXXII) 1-10.

## CAPUT II. De Sociis

Art. IV. Consociatio constabit ex sociis activis, honorariis<sup>5</sup>, patrocinantibus<sup>6</sup> et faventibus<sup>7</sup>.

Art. V. Socii activi erunt viri docti qui studia classica colunt et natione Argentini sunt vel peregrini in Argentina degentes, qui insuper, sive eo numero sint qui munus suum praestant in institutis nationalibus vel privatis sive non sint, humanitati classicae praeberint se esse deditos. Moderatorum Consilii est eos cooptare, postquam commendati erunt a duobus sociis activis vel ipsi praefatam cooptationem petiverint atque studiorum suorum curriculum simul exhibuerint. Socii activi collationem<sup>8</sup> solvent in Conventu Generali<sup>9</sup> statuendam.

Art. VI. Socii honorarii erunt viri qui scientiae laude excellentes meruerint in tales sodales cooptari, postquam Moderatorum Consilium id proposuerit et Conventus Generalis ratum habuerit.

Art. VII. Socii patrocinantes a Moderatorum Consilio designari poterunt qui eximiis donationibus vel beneficiis Consociationi studuerint.

Art. VIII. Socii faventes poterunt esse qui huius Consociationis officiis ac propositis faveant. Moderatorum Consilii erit eos cooptare, postquam a duobus aliis sodalibus commendati erunt, iidemque collationem solvent quae dimidia pars erit collationis a socio activo solvendae.

Art. IX. Socii quoque poterunt esse instituta humano cultui promovendo<sup>10</sup> quae id rogaverint et a Moderatorum Consilio adscripta erunt.

## CAPUT III. De Consociationis constitutione

Art. X. In hac Consociatione rectionis instrumenta<sup>11</sup> sunt: Moderatorum Consilium, Consilium Exsecutorium<sup>12</sup>, Conventus Generalis et Inspectionis Instrumentum<sup>13</sup>.

Art. XI. Conventus Generalis ordinarius erit vel extraordinarius.

Art. XII. Generalis Conventus ordinarius a Consilio Exsecutorio convocabitur, saltem tertio quoque anno et si fieri potest, alius in alia urbe, per legitimum nuntium saltem sexaginta diebus ante factum.

Art. XIII. Quotiescumque Conventus Generalis congregatus erit, sessiones fient ad doctrinam pertinentes, praeter unam quae ad administrationem spectabit.

Art. XIV. In Conventibus ius dicendae sententiae ferendique suffragii habebunt omnes socii activi qui collationes ad diem solverint, ceteri autem solum dicendae sententiae ius habebunt.

Art. XV. Conventus Generalis est collationes constituere.

Art. XVI. Ad Conventum Generalem rite celebrandum, minimum tertia pars sociorum activorum opus est; una vero hora transacta, sessio fiet si saltem aderit bis tanto numerus

membrorum Consilii Moderatorum.

Art. XVII. Conventus Generalis extraordinarius convocabitur, cum res postulaverit, a Moderatorum Consilio vel a Consilio Exsecutorio vel ab Inspectionis Instrumento vel rogatu tertiae sociorum partis.

Art. XVIII. Moderatorum Consilium constabit ex Praeside, Scriba ab actis, Administro a publicis rationibus, Thesaurario, Prothesaurario et novem membris vocem habentibus vel ius habentibus suffragii ferendi<sup>14</sup>. Membra vocem habentia personam sustinebunt regionum quae hic nominantur: I. Cuium<sup>15</sup>, Mendossa<sup>16</sup>, Sanctus Ioannes<sup>17</sup>, Sanctus Ludovicus<sup>18</sup>; II. Bonus Aer<sup>19</sup>, Latior Bonus Aer<sup>20</sup> atque regio septemtrionalis Provinciae Bonaerensis usque ad viam septimam<sup>21</sup>; III. Provincia Bonaerensis a via septima usque ad Olavarriae fines et Provinciam Pampam; IV. Provincia Bonaerensis ab Olavarriae finibus usque ad Terram Igniferam<sup>22</sup>; V. Interflumina<sup>23</sup>; VI. Corduba et Rivogia<sup>24</sup>; VII. Sancta Fides; VIII. Tucumanium<sup>25</sup>, Salta, Catamarca, Soteria<sup>26</sup> et Sanctus Iacobus ad Ulignes<sup>27</sup>; IX. Phasianus<sup>28</sup>; Fluenta<sup>29</sup>, Formosa et Missiones.

Art. XIX. Primae sex auctoritates Moderatorum Consilii in Conventu Generali eligentur ad id ipsum congregato, vocem vero habentes, unus pro unaquaque regione, eorumque vicarii<sup>30</sup> in singulis Athenaeis. Hi omnes electi habebuntur cum suffragiorum partem simpliciter maiorem retulerint. Si ad tempus Praeses absit, vices eius geret Propraeses; si ambo absint, tunc sessionibus praeerunt Consilii Exsecutorii membra, ipsorum praecedentia<sup>31</sup> servata.

Art. XX. Moderatorum Consilii munera honoraria sunt et per quattuor annos vigeant. Eius membra ad idem munus in subsequens temporis spatium<sup>32</sup> semel tantum rursus eligi poterunt. Ei, qui aliqua dignitate ornatus est, munere abire non licebit antequam munus ineat ipsius successor.

Art. XXI. Vocem habentes ipsorumque vicarii in sua quisque regione eligentur priusquam Generalis Conventus ordinarius celebretur.

Art. XXII. Moderatorum Consilii haec sunt officia:

- a) Consociationis partes agere eamque regere.
- b) Publicarum epistularum commercium habere<sup>33</sup>.
- c) Pecuniam publicam dispensare<sup>34</sup>.
- d) Ad Generalem Conventum ordinarium vocare.
- e) Minimum semel in anno se congregare.

Art. XXIII. Moderatorum Consilii est:

- a) Novos socios cooptare.
- b) Annum nuntiorum commentariolum typis descriptum vulgare<sup>35</sup>
- c) Quodlibet aliud munus explere non Generali Conventui per haec Statuta attributum.
- d) Ad Generalem Conventum extraordinarium convocare.

Art. XXIV. Ut Moderatorum Consilio sessiones habere fas sit, saltem tertia ipsius membrorum parte opus est.

Art. XXV. Moderatorum Consilium suas sibi leges assignabit iuxta normas

generales horum Statutorum.

Art. XXVI. Consilium Exsecutorium constat ex Praeside, Propraeside, Scriba ab actis, Administro a publicis rationibus, Thesaurario et Prothesaurario.

Art. XXVII. Consilii Exsecutorii est, inter duas Moderatorum Consilii sessiones, res tractare et decernere ad Moderatores consulendos propositas.

Art. XXVIII. Praesidis munia et officia sunt:

- a) Consociationis personam gerere.
- b) Ad sessiones tum Moderatorum Consilii tum Consilii Exsecutorii tum, si usus est, Conventuum vocare, quibus in sessionibus praerit atque, modo ad aequationem<sup>36</sup> suffragiorum deveniatur, et ipse suffragium feret ad controversiam tollendam.
- c) Conventuum Generalium deliberationes dirigere.
- d) Perficere perficiendaque curare consilia capta a Moderatorum Consilio, a Consilio Exsecutorio atque a Conventibus.
- e) Una cum Scriba ab actis vel/aut Thesaurario, prout res postulat, nomen subscribere<sup>37</sup> sessionum actis, publicis privatisque litteris, pactionibus, tabulis, acceptorum et expensorum rationibus, commentariis et ceteris societatis monumentis<sup>38</sup>
- f) Specialia vel generalia mandata, quibus ad finem perducantur Moderatorum Consilii vel Conventuum Generalium decreta, concedere aut abrogare, litteras publicas ad id pertinentes subsignando.

Art. XXIX. Scribae ab actis munia atque officia sunt:

- a) Conventus Generalis neque non Moderatorum Consilii Exsecutorii sessionum acta conscribere simulque obsignare<sup>39</sup>.
- b) Sociorum schedas<sup>40</sup> parare atque in schedarum theca<sup>41</sup> disponere.
- c) Annales commentarios componere.<sup>42</sup>

Art. XXX. Administri a publicis rationibus est in omnia incumbere quae ad Consociationis cum doctis rationes spectant atque omnes necessitudines externas servare cum propositis Consociationis congruentes.

Art. XXXI. Thesaurarii vel, si hic absit, Prothesaurarii officia sunt:

- a) Consociationis pecuniae summas recipere easque deponere in argentaria<sup>43</sup> quam Consilium Exsecutorium designaverit.
- b) Computationes ad diem curare<sup>44</sup>.
- c) Consociationis tabulas accepti et expensi nec non et statum nummarium exhibere<sup>45</sup>
- d) Servare, ordinare ac in tabulario reponere arcae nummariae adnotationes, apochas et tabulas<sup>46</sup>.

Art. XXXII. Inspectionis Instrumentum ex tribus membris constat quae a Consilio Exsecutorio simul eligi poterunt. Eius munia et officia sunt:

- a) Consociationis administrationem inspicere recognoscendo arcae nummariae condicionem et explorando, semel saltem in anno, computationes ac tabulas atque arcae nummariae adnotationes.
- b) Normas ferre, quotiens opportunum videbitur, de commentariis, acceptorum et

expensorum ratione, repertorio<sup>47</sup> et computatione impensarum et opum<sup>48</sup>

c) In Consilii Exsecutorii sessionibus adesse cum potestate sententiam, non vero suffragium ferendi.

d) Ad Conventum Generalem convocare ubi Moderatorum Consilium id facere omiserit.

e) Convocationem exposcere ad Generalem Conventum extraordinarium cum id necessarium existimet, et si Moderatorum Consilium id recusaverit, huius rei praecedentia<sup>49</sup> idoneae auctoritati tradet.

f) Explorare num haec statuta, normae et decreta perficiantur.

g) Inspicere negotia inita ad Consociationem dirimendam eiusque nomina dissolvenda<sup>50</sup>.

#### CAPUT IV. De Athenaeis

Art. XXXIII. Singulis in regionibus Consociationi velut sedes additiciae<sup>51</sup> Athenaea erunt.

Art. XXXIV. Ad Consociationis statuta, Athenaea sua sibi statuta assignabunt.

#### CAPUT V. De Consociationis pecunia

Art. XXXV. Consociationis pecunia constabit ex collationibus sociorum necnon etiam ex muneribus cuiuslibet generis quae acceperit. Munera gravaminis immunia<sup>52</sup> a Moderatorum Consilio accipientur, de muneribus autem gravamine pressis<sup>53</sup> Conventus Generalis decernet.

Art. XXXVI. Pecuniae collectae ex collatione sociali, quinae et septuagenae centesimae<sup>54</sup> uniuscuiusque Athenaei erunt, et vicenae quinae centesimae<sup>55</sup> chartula nummaria<sup>56</sup> ad Consociationis Thesaurarium mittentur.

Art. XXXVII. Consociationis pecunia deposita erit in aliquo computo argentario<sup>57</sup> eiusdem Consociationis nomine.

Art. XXXVIII. Si haec Consociatio dissoluta erit, omnia ipsius bona in possessionem venient Nationalis Aerarii Artibus Provehendis<sup>58</sup>.

#### CAPUT VI. Praescripta additicia

Art. XXXIX. Omnis statutorum emendatio tractabitur in Generali Conventu extraordinario ad id ipsum convocato probantibus duabus sociorum adstantium partibus<sup>59</sup>.

Art. XL. Consilium Exsecutorium omnia, quae opus sunt, faciet ut haec statuta approbentur atque Consociatio in personam iuridicam<sup>60</sup> erigatur. Eidem Consilio Exsecutorio potestas datur accipiendi mutationes quas exegerit Collegium Societatibus Inspiciendis<sup>61</sup>.

Art. XLI. Primum Moderatorum Consilium muneribus suis per tres annos fungetur. Consilium Exsecutorium in unaquaque regione legatum designabit ut Athenaeo

principium motionis det idque regat donec suum habeat Moderatorum Consilium.

Art. XLII. Consociatio Argentina Studiis Classicis Provehendis omnia, quae opus sunt, faciet ut se sociam adiungat Foederationi Internationali Consociationum Studiis Classicis Promovendis (compendiariis litteris FIEC, secundum Gallicam locutionem "Fédération Internationale des Associations d' Etudes Classiques") quae Parisiis<sup>62</sup> sedem habet.

(Haec Statuta Consociationis Argentinae Studiis Classicis Provehendis, Latino sermone verbum pro verbo ex Hispano reddidit IOSEPHUS MARIA DEL COL, s.d.b., magnopere consulendo novorum vocabulorum lexica nec non litterarum latinarum commentarios, potissimum vero PALAESTRAM LATINAM).

-----

- <sup>1</sup> *asiento legal.*
- <sup>2</sup> *civilización universal.*
- <sup>3</sup> *acroasis, is, f.: acto cultural.*
- <sup>4</sup> *comercial.*
- <sup>5</sup> *honorarius vel ornamentarius: honorario.*
- <sup>6</sup> *patrocinans: protector.*
- <sup>7</sup> *favens: adherente.*
- <sup>8</sup> *cuota.*
- <sup>9</sup> *Asamblea General.*
- <sup>10</sup> *entes culturales.*
- <sup>11</sup> *los órganos de gobierno.*
- <sup>12</sup> *la Mesa Ejecutiva.*
- <sup>13</sup> *el Organo de Fiscalización.*
- <sup>14</sup> *La Comisión Directiva se integrará con un Presidente, un Vicepresidente, un Secretario, un Secretario de Relaciones Públicas, un Tesorero, un Protesorero y nueve Vocales.*
- <sup>15</sup> *Cuium (-ii, n.): Cuyo.*
- <sup>16</sup> *Mendossa vel Mendoza (-ae, f.): Mendoza.*
- <sup>17</sup> *Sanctus Ioannes vel Ioannopolis (-is vel eos, f.): San Juan.*
- <sup>18</sup> *Sanctus Ludovicus vel Ludovici Fanum vel Ludovicinum vel Ludovicopolis (-is vel -eos, f.): San Luis.*
- <sup>19</sup> *Bonus Aer vel Boni Aures vel Bonae Aurae vel Bonaeropolis (-is vel - eos, f.): Buenos Aires.*
- <sup>20</sup> *Latior Bonus Aer vel Latiores Boni Aeres, etc.: Gran Buenos Aires.*
- <sup>21</sup> *ruta número siete.*
- <sup>22</sup> *Terra ignifera vel Terra igniflua vel Terra ignigena vel Terra ignescens: Tierra del Fuego.*
- <sup>23</sup> *Interflumina (-um, n. pl.) vel Interamniae (-arum, f. pl.) vel Interamnae (-arum, f. pl.): Entre Ríos.*
- <sup>24</sup> *Rivogia vel Ruconia vel Rioxa (-ae, f.): La Rioja.*
- <sup>25</sup> *Tucumanium (ii, n.) vel Tucumanum (-i, n.): Tucumán.*
- <sup>26</sup> *Soteria (ae, f.): Jujuy.*
- <sup>27</sup> *Sanctus Iacobus ad Uligines vel Iacobopolis (-is vel -eos) ad Uligines vel Sanctus Iacobus de Estero vel Iacobopolis de Estero: Santiago del Estero.*
- <sup>28</sup> *Phasianus (-i, m.): (El) Chaco. Phasianinus: del Chaco, chaqueño.*
- <sup>29</sup> *Fluenta (-orum, n. pl.): Corrientes.*
- <sup>30</sup> *suplentes.*
- <sup>31</sup> *precedencia (prioridad, preeminencia).*
- <sup>32</sup> *para el período siguiente.*
- <sup>33</sup> *Mantener la correspondencia oficial.*
- <sup>34</sup> *Administrar fondos.*
- <sup>35</sup> *Publicar un boletín informativo anual.*

<sup>36</sup> *empate.*

<sup>37</sup> *Scripto (dat.) nomen subscribere vel scriptum subscribere vel scriptum subsignare: Firmar un escrito.*

<sup>38</sup> *Las actas de sesiones, escrituras públicas y privadas, contratos, documentos, balances, memorias y demás papeles sociales.*

<sup>39</sup> *refrendar.*

<sup>40</sup> *scheda vel scida vel schedula vel scidula: ficha.*

<sup>41</sup> *schedarum (vel scidarum, etc.) theca (vel loculamentum vel scrinium): fichero.*

<sup>42</sup> *Redactar la memoria anual.*

<sup>43</sup> *argentaria vel mensa vel mensa argentaria vel domus argentaria vel taberna argentaria: banco.*

<sup>44</sup> *Llevar al día la contabilidad.*

<sup>45</sup> *Presentar el balance y estado financiero de la Asociación.*

<sup>46</sup> *Conservar, ordenar y archivar todos los comprobantes de caja, recibos y documentos.*

<sup>47</sup> *repertorium vel inventarium.*

<sup>48</sup> *cuenta de gastos y recursos.*

<sup>49</sup> *Alicuius rei praecedentia (-ium, n. pl.): Los antecedentes de alguna cosa.*

<sup>50</sup> *Vigilar las operaciones de disolución y liquidación de la Asociación.*

<sup>51</sup> *como filiales.*

<sup>52</sup> *sin cargo.*

<sup>53</sup> *con cargo.*

<sup>54</sup> *el 75%.*

<sup>55</sup> *el 25%.*

<sup>56</sup> *chartula (vel scheda vel schedula vel scida vel scidula vel tessera) nummaria: giro (letra, libranza de comercio).*

<sup>57</sup> *vel in aliqua argentaria computatione: en una cuenta bancaria.*

<sup>58</sup> *Fondo Nacional de las Artes.*

<sup>59</sup> *con aprobación de una mayoría de dos tercios de los socios presentes.*

<sup>60</sup> *personería jurídica.*

<sup>61</sup> *Inspección de Sociedades.*

<sup>62</sup> *Parisii (-orum, m. pl.) vel Lutetia (-ae, f.) vel Lutetia Parisiorum: París.*

**II SYMPOSIUM NATIONALE DE STUDIIS CLASSICIS  
IN ARGENTINA INDICITUR \***

Cordubae, in urbe principe cognominis provinciae medium locum in Argentina obtinentis, mense Septembri anni MCMLXXII Secundum Symposium Nationale de Studiis Classicis celebrabitur. Primum Mendossae congregatum est anno MCMLXX. Accipe nunc nuntium proximi Symposii.

UNIVERSITAS NATIONALIS CORDUBENSIS  
FACULTAS PHILOSOPHIAE ATQUE HUMANIORUM LITTERARUM  
MAXIMA STUDIORUM SEDES  
Locus Tabellarius N. 30

Domino  
... (Nominis ac cognominis  
atque domicilii indicium)

Pergratum nobis est certiolem te facere a Facultate Philosophiae atque Humaniorum Litterarum huius Universitatis II Symposium Nationale de Studiis Classicis convocari, quod sex dierum spatio celebrabitur, a die XVIII ad diem XXIII mensis Septembris anni MCMLXXII. Sessiones fient in sede aestiva cui nomen Bubilia<sup>1</sup>, ab Universitate Nationali Cordubensi empta et prope urbem Radices<sup>2</sup> sita.

Te rogamus ut praefato conventui intersis sociamque naves operam commentationibus mittendis iuxta argumenta et Leges quae singillatim exponemus.

**ARGUMENTA**

I- CARMINA EPICA: rationes litterariae, linguisticae, archaeologicae, philosophicae, historicae, geographicae, etc.

II - METHODOLOGIA de linguis classicis tradendis et in schola secundaria et in schola superiore.

III - IUS antiquis temporibus vigen.

-----  
\* ORBIS LATINUS, 3 (MCMLXXI) 118-120.

## LEGES

I.- Huic Symposio iure aderint professores qui tum Classicas Linguas et Litteras, tum Res Veteres et Philosophiam antiquitus acceptam, tum Ius Romanum docent sive in Universitatibus Argentinis, sive in Institutis Superioris Ordinis Professoribus Formandis, sive in Scholis secundi ordinis Antiquitatis Litteris Perdiscendis.

Invitabuntur insuper nonnulli collegae ex finitimis nationibus necnon et discipuli eadem studiorum curricula sequentes.

II.- Uniuscuiusque commentationis tria exemplaria mitti oportet machinula scriptoria exarata, duplo spatio servato. Opus ne constet amplius quam XV paginis e charta quae ad instrumenta publica adhibetur<sup>3</sup>. Tempus intra quod scripta mittenda sunt, exhibit die XV mensis Iulii anni MCMLXXII, ut Consilio Lectorum tempus suppeditet.

III.- Consilium Lectorum, in quod cooptati sunt professores Aida A. Barbagelata, Carolus A. Ronchi March, Carolus A. Disandro, Gerardus H. Pagés, Franciscus Nóvoa et Carolus Herrán, hoc unum curabit, ut statuatur num suprafatae commentationes naturae atque quaestionibus Symposii respondeant.

IV.- Simul ac Symposium inceptum erit, Consilia constituentur ad commentationes exponendas et examinandas. Quae Consilia suo munere mane vesperique fungentur. Postea vero frequentissimi conventus<sup>4</sup> fient. Omnibus adstantibus licebit in eo Consilio adesse quod sua maxime intersit, et vota proponere quae sibi opportuna videantur.

V.- Praesidium Symposii constabit ex uno Praeside, duobus Propraesidibus et uno Scriba ab actis, qui ab adstantium legatis nominabuntur.

VI.- Legati autem ad hanc proportionem eligentur: unus pro unaquaque Universitate Nationali, tres pro Universitatibus Privatis, tres pro Institutis Altioris Ordinis Professoribus Formandis, duo pro Schola Secundaria.

VII.- Adstantium legati honorarias quoque auctoritates designabunt et duos curatores Publicarum Rationum<sup>5</sup> e professoribus Cordubae degentibus seligendos.

VIII.- Cum Symposium ab Universitate Nationali Cordubensi paretur, ipsi aliquis alicuius Universitatis Nationalis ordinarius professor praeerit.

Professores, si huic congressui adesse voluerint, monemus ut mature nohis indicent, ita ut eis deversorium parvo pretio impetremus pariterque ab auctoritatibus, ex quibus pendet, licentiam, si opus fuerit, impetremus, ut eisdem scholas inter Symposium habendas omittere fas sit.

Suo tempore pressius de deversorio edocebimus atque de agendarum rerum propositis.

Confidimus fore ut venias. Vale.

Pro Consilio Curatorio  
Prof. Iosephus A. N. Rasquin

Datum Cordubae, mense Octobri a. MCMLXXI.

(Hoc nuntium II Symposii Nationalis de Studiis Classicis Latine verbum e verbo expressit Iosephus M. DEL COL, s.d.b., professor in Altiore Instituto cui nomen "Ioannes XXIII" in Argentina urbe Sinu Albo<sup>6</sup> exstante).

<sup>1</sup> *Las Vaquerías.*

<sup>2</sup> *La Falda.*

<sup>3</sup> *papel oficio.*

<sup>4</sup> *reuniones plenarias.*

<sup>5</sup> *encargados de Relaciones Públicas.*

<sup>6</sup> *Bahía Blanca.*